



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Eginhartvs De Vita Caroli Magni, Animadversionibvs Illvstratvs

Bessel, Friedrich  
Reinhard, Johann Friedrich

Helmeftadii, 1667

Praefatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10996**

I

**VITA ET GESTA CAROLI CO-**  
**GNOMENTO MAGNI, FRANCORUM**  
Regis fortissimi, & Germaniæ suæ illustratoris aucto-  
risque optimè meriti, per **EGINHARTUM**, illi-  
us quandoque alumnus, atque scribam ad-  
juratum, Germanum, conscripta.

**P R Æ F A T I O.**

1. **V**itam & conversationem, & ex parte non mo-  
dica res gestas, Domini & nutritoris mei Ca-  
roli, excellentissimi, & meritò \* celeberrimi \* *N. fan-*  
Regis, postquam animus scribere tulit, quan-  
*mosissimi.*  
tâ potui brevitate complexus sum, operam impendens,  
ut de iis, quæ ad meam notitiam pervenire potuerunt,  
nihil ommitterem, neque prolixitate narrandi nova quæ-  
que fastidientium animos offenderem: si tamen ullò  
modò vitari potest, ut novâ scriptione non offendan-  
tur, qui vetera, & à viris doctissimis atque disertissimis  
2. confecta monumenta fastidiunt. † Et quamvis plures  
esse non ambigam, qui otio ac literis dediti, statum æ-  
vi præsentis non arbitrentur ita negligendum, ut o-  
mnia, quæ nunc fiunt, velut nullâ memoriâ digna, si-  
lentio atque oblivioni tradantur: potiusque velint, a-  
more diuturnitatis allecti, aliorum præclara facta qua-  
libuscunque scriptis inserere, quam sui nominis famam  
posteritatis memoriæ nihil scribendo subtrahere: tamen  
ab hujusmodi descriptione non existimavi temperan-  
dum, quando mihi conscius eram, nullum ea veracius,  
quàm me scribere posse, quibus ipse interfui, quæque  
præsens, oculatâ, ut dicitur, fide cognovi, & utrum ab  
3. alio scriberentur nec ne, liquidò scire non potui. † Sa-  
tius ergò judicavi, eadem cum aliis velut communiter

A

literis



literis mandata memoriae posterorum tradere, quam  
 Regis Excellentissimi, & omnium sua aetate maximi cla-  
 rissimam vitam, & egregios, atque nostri temporis homi-  
 nibus vix imitabiles actus, pati oblivionis tenebris a-  
 boleri. † Suberat & alia non irrationabilis causa, quae 4.  
 vel sola sufficere posset, ut me ad haec scribenda com-  
 pelleret: nutrimentum videlicet in me impensum, &  
 perpetua, postquam in aula ejus conversari coepi, cum  
 ipso & liberis ejus amicitia, qua me ita sibi devinxit,  
 debitoremque tam vivo, quam mortuo constituit, ut  
 merito ingratus videri & judicari possem, si tot benefi-  
 ciorum in me collatorum immemor, clarissima & illu-  
 strissima hominis optimè de me meriti gesta silentio præ-  
 terirem: patererque vitam ejus, quasi qui nunquam vi-  
 xerit, sine literis ac debitâ laude manere. † Cui scri- 5.  
 bendæ atque explicandæ non meum ingeniolium, quod  
 exile & parvum, imò nullum pene est, sed Tullianam  
 par erat desudare facundiam. † En tibi librum Præ- 6.  
 clarissimi & Maximi Viri memoriam continentem, in  
 quo, præter illius facta, non est quod admireris, nisi for-  
 te quod homo barbarus, in Romana locutione perpa-  
 rum exercitatus, aliquid decenter aut commodè Lati-  
 nè scribere posse putaverim, atque in tantam impuden-  
 tiam proruperim, ut illud Ciceronis putarem contem-  
 nendum, quod in primo Tusculanarum libro \* cum de  
 Latinis Scriptoribus loqueretur, ita dixisse legitur:  
*Mandare quæquam, inquit, literis cogitationes suas, quas nec  
 dissonere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere  
 lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio & li-  
 teris.* † Poterat quidem hæc Oratoris egregij senten- 7.  
 tia me à scribendo deterrere, nisi animo præmeditatum  
 esset, hominum judicia potius experiri, & scribendo in-  
 genioli mei periculum facere, quam tanti Viri memo-  
 riam mihi parcendo, præterire.

ANIM.

\* Cap. 6.